



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE INTER PRAECLARAS ECCLESIA PAROECIALIS SANCTI LAURENTII, DIACONIS ET MARTYRIS,

QUAE IN URBE «ASHEVILLE» INTRA FINES CAROLINAE DIOECESI EXSTAT,

AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter praeclaras sacras aedes Carolinae dioecesis novimus merito haberi ecclesiam paroecialem Sancti Laurentii, diaconi et martyris, in urbe «Asheville» sitam, quae structurae genere «Hispanico» aedificata ac praestans quidem miris artis operibus, nota est sedes spiritualis vitae operumque pastoralium et caritatis necnon oecumenici motus. Qua re, cum Venerabilis Frater Ioannes Franciscus Donoghue, Episcopus eiusdem dioecesis, litteris die XII mensis Februarii hoc anno datis, etiam cleri populique sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos peculiare benevolentiae Nostrae documentum dilectis Carolinansibus cupientes praebere, eius sollertis Pastoris precibus libenter obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica usi potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum ecclesiam paroecialem, de qua mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, factis omnibus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Aprilis, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri decimo quinto.* ANGELUS card. SODANO

Secretaries Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana